

61

Christi comprehenditur panis & vinum, signum sive sacramentum & figura corporis & sanguinis Christi, non etiam ipsum verum & substantiale corpus & sanguis Christi. Quare in sacra caena panis & vinum, signum sive sacramentum, & figura corporis & sanguinis Christi, non etiam ipsum verum & substantiale corpus & sanguis Christi à Christianis manducatur & bibitur.

64. Propositio immota veritatis est: quia verba illa Christi caenam instituentis complectuntur totam substantiam huius sacramenti, Christianis oblatam & exhibitam, & eius sunt adaequata regula sive mensura: hoc est, neq; plus exprimunt neq; minus, quàm sacra caena cibum & potum Christianis propositum, omnem, inquam, sive totum & solum. Assumptio item manifestissima est ex iis, quae diximus. Est enim reale discrimen inter signum & rem, quae significatur; quale est inter relatam & correlatam: quorum unum non est alterum, sed unum est alterius, & dicitur alterius respectu.

65. Vbi nota Neo-Marpurgensium Calvinistarum stuporem, asseverantium manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi non fundari in verbo Christi. Edite, bibite: sed in istis: Hoc facite in mei commemorationem. Non distinguunt illi inter sacramenti substantiam, & finem: Et contradicunt Calvinistarum doctissimis. Et Matthaeum & Marcum accusant gravissimi errati, qui verba illa non habent. Extant enim tantum apud Lucam & Paulum. Absit autem ut concedamus Matthaeum & Marcum non integram descripsisse sacrae caena substantiam.

66. Opponimus etiam metonymiae sacramentariae istud argumentum. Absurdum est vocabulum corpus & sanguis aliter accipere in eodem argumento apud hunc Evangelistam, aliter apud alium, aliter apud Paulum. Atqui hoc facit Metonymia Calviniana. Ergo absurda est. Assumptum probatur. Nam D. Paulus, qui ab ipso Christo immediatè didicit doctrinam de S. caena, I. Cor. II. v. 23. ita loquitur. 1. Panis quem frangimus est *ἡ σὰρξ* corporis Christi. I. Cor. 10. vers. 16. 2. Hoc est corpus meum (Christi) quod pro vobis